


19,583


BIBLIOTEKA

Zakl. Nar. im. Ossolińskich

XVII
3.397



8



A

In

e

Fr

CT

W

AR

K

A

19

ACERVVS
ASSERTIONVM
LOGICARVM

2 V E M 274

In Almâ Academiâ Cracouiensi,
ex fragrantissimo Doctoris Angelici D. Tho-
mæ Aquinatis Roseto decerptum,

*Fr: LVDOVICVS ZJELONACKI, Ordinis SAN-
CTI BENEDICTI, Congregationis Cluniacensis, Con-
uentus Tinecensis Professus, publicè ad disputan-
dum, in peraugusto Aulae Jagellonianæ DD.
Theolog: Lectorio, proposuit.*

Assistente sibi Excell: & Rn̄do. M. Matthæo
Krásnicki, Phil: Doct. Coll: Maiore, Ad San-
ctæ Annæ Canonico, Cursus Philoso-
phici Vladislauiani Professore.

Anno Reparatæ salutis 1643. Mense Die

19 583

CRACOVIÆ,

In Officinâ Valeriani Piątkowski.



XVII - 3394 - II
I N S T E M - M A
Beati s:mi Monachorum Patriarcha D. BENEDICTI.



SANCTE PATER BENEDICTE, tuum dum nobile stemma:
Conspicio, mea mens omnia multa capio.
Mena conspicio ! designant Fortia corda
Relligiosorum, qui tua castra colunt.
Conspicio defendentem sua septa Leonem !
Semper in excubiis cor BENEDICTE Tuum est.
Felix Relligio tanto custode recepta,
Et nunc te placido sors fouet auspicio
PRAESVL adest vigilans Tibi tali stemmate clarus,
Hic murus nobis, hic Leo fortis erit.

Fr. Athanasius Gumowski, Consensus Tinocensis
Professus, Auditor Eloquenciae.

SANCTISSIMO PATRI.
 DIVO BENEDICTO
 MVLTORVM ORDINVM RELIGIOSORVM
 DIGNISSIMO PATRIARCHÆ,
 SAPIENTISSIMO FVNDATORI,
 FELICISSIMO PROPACATORI,
 SVVS ALVMNVS
 IVDOVICVS ZIELONACKI, Conuentus Ti-
 necensis, Congregat: Cluniacen: Professus.

SVB tutelâ & presidio tuo, BEATISSIME PATRIAR-
 CHA Noster, in circo Phil: ad certamen, vbi non gladio, sed in
 genio, non peltis, sed argumentis decertandum est, infracto & ex-
 celloso animo descendo. Si enim plurimi frequentissimè in nostrâ
 Academiâ palmarium decus, & pereunem victoriam ex suis Anta-
 gonistis in Phil: concertationibus retulere, qui sub auspicijs gentilitiæ Lunæ,
 antiquorum Gryphorum robore, Leonum & pardorum perustata gentis, in
 conspectu dimicârunt: quanto mihi magis sperandum est, qui sub Duce &
 Antesignano tali sum preliaturus, qui natus es in Castello firmissimo, ex
 quo principes tot Ecclesie Vicarij Christi, Purpurâtiarj & cohonestati Ponti-
 ficij plures, quàm ex equo Troiano, prodierunt, quos armavit Leo tuus con-
 tra hostes Ecclesie fortissimè; quem nulla vis humana, nulla potestas Prince-
 pum aut Regum, nec ipsius inferni vis vincere ac domare potuit, ut si non ri-
 etor, saltem ne victus euadam? Insurrexit aliquando contra te inuidi homi-
 nis Florentini maximus impetus, cum te, in gratiâ Dei, Sacrosanctæ Religionis
 propagationes ampliare animaduertisset, & incrementa pietatis Ecclesiam
 Catholicam assumere intellexisset, mox, malitiâ inflammatus & accensus non
 mediocriter, è viuâ tollere ausus est, panes veneno intoxicatos Tibi obtulit,
 quos TU, SPIRITVS SANCTI instinctu, lethiferos cognoueras, per

corum in ultimas partes mundi, ne reperti ab hominibus, illorum vite nocerent, ablegasti; impium sacerdotem tuam patientiam profligasti, & exterminasti. Hæc erat tua fortitudo, quã humanos ausus despiciebas, atq; intra Te positos arbitrabaris; non perimeſcebas fulmina insultantium; non exhorrebas tonitrua increpantium; neq; malis concusiebaris, aut aduersa fortuna cedebas, sed magis ac magis contra improbitatem vite, constantior & audacior insurgebas. Nunquam Te, virum castimonie deditum, voluptates, blandissimæ Domine delinire poterant; nullis vitiorum illecebris irretire valebant; continenter, castè vitam agebas; neq; vllã luxuriã, aut otio, peste & pernicie omnib; honestatis, disfluebas. Immiserat idem invidus os virtutum Tuarum Florentinus, inærecundissimas, procacissimas faminas sibi, cerussis depictas in hortum, in quem Tui cubiculi prospectus fuerat; cum, Tuum corpus castum, infecto venenipane, interficere non valuit; impurã & impudicã libidine animum integerrimum interficiendum tentauit. Saltatorios orbis exercebant ille femina, illecebris obarmate, vt in naufragium sanctitatis Te pellicerent, pellectum Christo eriperent, & per illas choreas impuras & impudicas seductum, Sathana pro mancipio venderent. Non tulisti, Generose PATER, hanc iniuriam, sed velati alter Ioseph castissimus, ex palatio Regina; sic Tu, ex illo cubiculo, in aliud Cœnobium demigrasti, & vt non ipsum tantum malum, sed etiam ipsas occasiones mali vinceres, inuidis hominibus cessisti. Sub tanti ergo Ducis & Patroni PATRIARCHÆ MEI, EVNODATORIS ORDINIS NOSTRI, presidio & auspicio ACERVVM Assertionum Logicarum aggredior. Itaq; vt fauore sanctissimo, tantis quam PATER indulgentissimus, mihi indigno Filio patrocinari digneris, pio ac deuoto animo, sincerã mente ACERVVM Assertionum Logicarum offero, dedico & consecro; simulq; Illustrat; ac Rmum. Dominum IOANNEM CAROLVM, COMITEM à KONOPAT, KONOPACKI, Nominatũ Episcopatus Vermiensis, ABBATEM NOSTRVM TI-NECENSEM, Tuis Suffragationibus apud DEVM immortalem defendendum suscipias, commendo. Arceat suis manibus, que pro stemmate inlytogerit, ab Ecclesia Dei, apros, qui vineã Christi pessundit; felicissimè luceant, non ex coctis lateribus aut lapidibus duris, sed præclarissimis facinoribus in patriã, pro patriã, cõpacta stent illa, & perennent nullis fati, nullã vetustate tæporum, aut iniuriã abolenda. BEATISSIME PATER, meo ACERVO Assertionum Logicarum, faue; fauisti si illum protegendũ suscepisti.

ASSERTIONES

Controuersiæ Primæ Proœmialis.

1. Philosophiâ in suâ latitudine sumpta, est rerum diuinarum, humanarumq; siue, est rerum vt sunt, scientia vel cognitio. Dicitur quæque non immerito, meditatio mortis, & similitudo hominis cum DEO.

2. Diuiditur vniuersa Philosophia in Theoricam & Practicâ; quæ tum illa in Rationalem & Realem subdiuisa, Logicam priore membro; posteriore autem, Physicam, Mathematicam, & Metaphysicam, complectitur; hæc verò, in strictè Practicam, seu Actiuam, & Factiuam distribuitur. Attamen potest communiter & ad æquatè in Rationalem, Naturalem, & Moralem distribui.

Controuersiæ Secundæ.

1. Ad directionem actuum rationis necessaria est doctrina peculiaris.

2. Logica Naturalis, quæ est lumen quoddam naturale, à naturâ nobis insitum, non sufficit ad directionem actuum rationis:

3. Logica artificialis est vera pars Philosophiæ.

4. Logica rectè in Docentem & Vtentem diuiditur; quarum hæc pro scientificâ notitiâ Logicæ, acq; insitâ per demonstratiõem, sumpta, eundem realiter habitum vt Docens constituit; si verò Vtens Logica sumatur pro habitu seu promptiudinæ ex frequenti usu regularum Logicæ Docentis comparata, non meretur dici scientia.

5. Diuisio Logicæ in Docentem & Vtentem, toti singulisq; eius partibus conuenit. Logica quatenus Docens, essentialiter, & ex vi suorum principiorum, simpliciter est speculatiua, quanquam non ita perfecte, vt scientia Naturalis.

6. Obiectum Logicæ adæquatum & Formale, non sunt voces significantes & articulata, neq; res, neq; operationes intellectus, quæ

Indigibiles, neq; Ens reale conjunctum Enti rationis, neq; modus sciendi, neq; Argumentatio, neq; Demonstratio, neq; Ens rationis in Comuni; sed est Ens rationis Logicum: Materia autem propria & immediata, in qua recipitur obiectum formale Logica, sunt res ipsae & Entia realia, non autem actus rationis. Parziale tamen obiectum Logica est Syllogismus, qui fit per tertiam operationem intellectus; & inter Syllogismos ratione materiae, Demonstratio est obiectum principalis.

7. Artificialis Logica est simpliciter necessaria sine addito, ad scientias speculativas, ut sunt in statu perfecto scientiae, quoad conservationem & nutritionem; ad alias vero scientias, licet non simpliciter, est tamen summè necessaria: unde ante omnes alias tradenda est.

Controuersia Tertia.

1. **E**NS rationis est, quod habet esse tantum obiectiue in intellectu, prout scilicet dependet à cognoscente.
2. Diuiditur Ens rationis communissime sumptum, in Negationem, & Relationem rationis: sub Negatione includitur etiam Priuatio, quae est quaedam negatio formae in subiecto apto ad recipiendam formam. Negatio verò, si proprie & in rigore sumatur, est absentia formae in subiecto repugnante eidem.
3. Relatio rationis ex ordinatione conceptuum prouenit.
4. Intèrioprima, absolute sumpta, debet esse aliquid reale, vel conueniens alicui in statu realitatis.
5. Secundae Intentionis tres sunt primariae species; simplicium apprehensio, compositio & diuisio, atq; discussus.
6. Non tantum secundum diuersas operationes intellectus, diuificatur Intentio secunda: sed etiam in qualibet operatione intellectus, secundum diuersum dignibilitatis ordinem, diuersae erunt secundae Intentionis species.
7. Ad formanda Entia rationis formaliter, intellectus indiget alio quo a

quò actu comparatiuo, vt hinc, Entia rationis dicantur formaliter esse, & non tantum fundamentaliter.

8. Ens rationis formatur cognitione directâ, quæ ipsum non Ens reale, vel quod realiter relatum non est, ad instar Entis, vel relationis realis, denominat cognitum: non autem cognitione reflexâ, quæ respiciat Ens rationis, tanquam rem cognitam.

Controuersia Quartæ.

1. Vniuersale incomplexum, aliud est in causando, aliud in representando, aliud in significando, aliud in essendo seu predicando; & hoc postremum, est simpliciter vniuersale: alia enim enumerata, entitatiuè & simpliciter sunt singularia: dicuntur tamen vniuersalia, quòd causant, significant, representant.

2. Præter voces & conceptus vniuersales, sunt etiam res, seu nature vniuersales, per intellectum abstractæ, & dicunt relationem ad multa.

3. Vniuersale definitur; quod est vnum in multis: vel, quod pluribus inesse aptum est. Quæ definitio, cum essentiam vniuersalis explicet, est quidditatiua. Quâdo verò definitur; Vniuersale esse id, quod de pluribus prædicari aptum est, est Descriptiua: posse enim prædicari, est Passio vniuersalis; non autem Essentia.

4. Ad essentiam Vniuersalis fundamentaliter sumpti, duo requiruntur, videlicet, vnitas natura, & aptitudo; ita vt vnitas præsupponatur ante essentiam vniuersalis, siquidem essentia vniuersalis ad relationem rationis, vnitas verò ad negationem pertinet. Vnde essentia Vniuersalis, in aptitudine vnus, vt sit in multis, consistit.

5. Licet ad fundandam vniuersalitatem Logicam requiratur, vt natura sit omninò plurificabilis in multa; non tamen oportet, vt sit actu multiplicata, seu Physicè multiplicabilis; sed sufficit aptitudo ad multiplicandum.

6. Vniuersale materialiter sumptum, non est realiter separatum à suis Individuis.

7. Soli conceptus mentis, ac voces significatiuæ conceptuum, non sunt vniuersalia.

8. Vniuersale Logicum materialiter sumptum, est aliquid in re extra intellectum.

9. Vniuersale pro suo formalia actuali acceptum, non est aliquid in re, sed in solo intellectu.

10. Proximum fundamentum Vniuersalis Logici, est recognitio, prout in intellectu representatur.

11. Vniuersale Logicum non potest fieri sine actu collativo; siquidem intentio generis non attribuitur animali, nisi ab intellectu, quatenus natura ad sua inferiora comparatur.

12. Vniuersalia non sunt perpetua secundum essentiam positivè, sed solum negativè: quæ tamen ad veram & realem singularium generationem & corruptionem, per accidens generantur & consumuntur.

13. Prædicatio est nihil aliud, nisi attributio vnus ad alterum, affirmando vel negando. Huius prædicationis formalis actio est attributio, seu coniunctio extremorum per modum attributionis: hæc verò coniunctio, est relatio; cuius fundamentum, est Identitas seu Conuenientia, vel Disconuenientia extremorum.

14. Prædicationis verificatio fundata in Identitate seu Conuenientia extremorum, attenditur tam ex parte rei significatæ, quam ex parte modi significandi.

15. Abstractum respectu concreti, abstrahit abstractione formalis non totali. Totalis enim abstractio est, quæ superius abstrahitur ab inferiori, & Commune ab Individuis, quod se habet vt totum respectu inferiorum, includendo illa virtualiter & implicite: Abstractum verò respectu concreti non se habet vt totum, sed quasi forma & actus, respectu potentia & subiecti.

16. Vt aliquid sit Genus, vel aliud Vniuersale, non debet suum significatum significare cum præcisione formalis, sed solum cum præcisione totali.

17. Prædicatio diuiditur generali diuisione in Identicam, Disparatam, & Mediam. Identica est, in quâ idem enuntiat de se ipso. Disparata est, in quâ Prædicatum nullam habet cum subiecto connexionem

onem, Media verò Prædicatio est, in quâ prædicatum & subiectum, habent sufficientem connexionem, sed non omnimodam Identitatem. Subdiuiditur prædicatio Media, in Directam & Indirectam. Ab aliis prædicatio diuisitur, in Identicam & Formalem.

18. Identica Prædicatio commodè distribuitur, vt sit alia Identica Materialiter, alia Formaliter. Formaliter Identica prædicatio est, quando ex vi significationis terminorum, idem significat vnus quod alter, v.g. Homo est homo. Materialiter verò Identica dicitur, quando significationes quidem sunt diuersæ, sed realitas seu Entitas est eadem: huiusmodi sunt prædicationes, Actio est Passio, Albū est substantia, Album est dulce, Huc referuntur prædicationes, quando vnū attributum in DEO prædicatur de alio, vt misericordia est Iustitia.

19. Prædicationes habent locum, tam in Propositionibus affirmatiuis, quàm negatiuis; tam veris, quàm falsis: vt enim, Homo est homo, est prædicatio Identica; ita, Homo non est homo, est etiam Identica, licet sit falsa: quemadmodum Homo non est lapis, est Disparata, licet sit vera. At verò illa prædicatio, Homo non est anima, est directa, licet sit falsa. Cæterum, Rationale non est homo, quamuis negatiua sit, est Indirecta.

20. Concretum & Abstractum dupliciter sumuntur scilicet, vocantur & pro Re; & tam Concretum quàm Abstractum, distribuuntur in substantium & Accidentale.

21. Concreta substantialia & Accidentalia de Cōcretis prædicantur, siue sit Prædicatio concreti substantialis de Accidentali, siue Accidentalis de Accidentali, siue accidentalis de substantiali, estq; huiusmodi prædicatio directa formalis, efficiens veras propositiones.

22. Prædicationes abstractorum Accidentium, quorum vnus est de Essentiâ alterius, sunt formales: vt Albedo est color, scientia est habitus; & sic accidentia signifiata, propriè in Categorijs collocantur, suntq; entia quibus propriè genera & species competunt. Prædicationes verò in Abstractis substantialibus, quarum abstractum, loco subiecti positum, non pertinet ad essentiam abstracti, loco sub-

23. Abstracta formalia, tam substantialia, quàm accidentalia, precise non dicunt ordinem ad sua inferiora, sed ad concreta, à quibus abstracta, & separata sunt, vt Animalitas dicit ordinem ad animal, & Humanitas ad hominem. Proinde nullum abstractum abstractione formali, precise predicari potest de aliquo, nisi interueniente abstractione vniuersali, quandoquidem, vt aliquid de alio predicetur, oportet, vt habeat rationem totius.

24. Abstractum substantiale ex modo significandi, simpliciter est pars; vnde non potest esse simpliciter totum, sed tantum secundum cre- quid; Abstractum verò accidentale, ex modo significandi, potest esse simpliciter totum, eò quòd secundum quid tantum est pars.

25. Accidentium concreta in predicamentis ponuntur, & dicuntur vniuersalia secundum quid tantum, & per reductionem ad sua abstracta. Contra verò, abstracta substantialia sunt in predicamentis & dicuntur vniuersalia, aut predicabilia secundum quid tantum, & per reductionem ad sua concreta.

26. Quemadmodum abstracta accidentium, si in illis spectetur abstractio formalis, licet significantur vt partes, secundum quid suorum inferiorum; nihilominus simpliciter habent rationem totius, respectu suorum inferiorum; nae contrario modo abstracta substantialia significantur vt partes suorum concretorum, & tamen possunt secundum quid habere rationem totius, quo ad sua inferiora.

27. Substantialia tamen abstracta (vt est animalitas) cum præcisione suorum inferiorum sumpta, nequeunt de illis predicari: non tamen repugnat prædicatio abstractis substantialibus, sine tali præcisione, prout confusè continent inferiora; atq; sic verè possunt abstracta superiora de suis inferioribus predicari; vnde huiusmodi prædicatio, licet non per se & simpliciter, tamen secundum quid, & per reductionem, pertinet ad predicabilia.

28. Concreta nequeunt predicari prædicatione formali de suis abstractis; nec abstracta de suis concretis, à quibus abstrahunt; bene tamen possunt predicari abstracta simpliciter infinita de suis concretis infinitis, & concreta infinita de suis abstractis; vt Deus est Deitas, &

Deitas

Deitas est DEVS. Similiter abstracta predicata, quæ sunt omnium
generalissima & communissima, benè prædicantur de suis concretis,
& concreta de abstractis; & sunt hæc Ens, vnum, verum, bonum, res,
Entitas est Ens &c.

29. Secundæ Intentiones in abstracto non prædicantur de primis;
benè tamen prædicantur in Concreto, exceptò eò, quòd de primis
intentionibus substantialibus abstractis, nequeunt prædicari in Con-
creto, quamuis de accidentibus abstractis verè prædicentur.

30. Secunda Intentio, quando est de essentia alterius secundæ In-
tentionis, optimè de illà potest prædicari, tam in Concreto, quàm in
abstracto, vt superius de inferiori, v.g. Genus est v. iuersale, vniuersa-
le est relatiuum rationis; & Generetas est vniuersalitas, & vniuersa-
litas est relatio rationis. Illæ verò secundæ Intentiones, quæ inter se
& pugnât, neq; in abstracto, neq; in concreto, de se prædicari possunt;
falsum eni est dicere, Generetas est differentialitas, & Genus est dif-
ferentia. Quæ tamen secundæ Intentiones talem non habent repu-
gnantiam, sed potiùs eandem naturam denominare possunt, licet
nequeant in abstracto de se prædicari, in Concreto tamen benè præ-
dicantur, vt Generetas est species subalterna, falsa est prædicatio,
in Concreto autè vera est, cùm dicitur, Genus est species subalterna.

31. Vniuersalia Logica, nec plura, nec pauciora dantur, quàm
quinque, Genus, Species, Differentia, Proprium, & Accidens.

32. Non datur aliquid vnum Vniuersale Metaphysicū, primò in-
tentionaliter sumptum, quod sit Genus propriè dictum ad omnia vo-
niuersalia Metaphysica.

33. Vniuersale Logicū formaliter, seu secundò intentionaliter
& sumptum, est genus propriè dictum, ad quinquæ prædicabilia, in que
vniuoce diu dicitur.

34. Vniuersale formaliter sumptum, semper est Ens rationis; sum-
ptum verò materialiter, aliquandò est Ens reale, aliquandò etiam
rationis. Item formaliter sumptum, est Incorporeum, at verò mate-
rialiter acceptum, vel est corporeum vel incorporeum. D inde ma-
terialiter sumptum, còexistit singularibus, formaliter verò acceptum,
habet

habet esse obiectuè in intellectu tantùm Item vniuersale pro formali, semper importat Ens rationis, pro materiali verò aliquando est Substantia, aliquando est Accidens,

Controuersia Quintæ.

1. **G**eneris Logici Definitio, cum dicitur; Genus est, quod prædicatur de pluribus specie differentiibus in eo quod quid, est recta. Quæ definitio licet sit descriptiua, vt à Porphyrio traditur, eò quòd fiat per Prædicabilitatem, quæ est Passio vniuersalis, potest tamen reduci ad essentialem, dicendo: Genus est vniuersale, respiciens plura specie distincta in quid, si fundamentaliter tradatur.

2. In definitione Generis Logici, Definitum formale & quidditatum, non est ipsa natura communis, quæ denominatur Genus, nec secundum se, nec secundum vlla prædicata primæ Intentionis; neque etiam sola Intentio secunda in Abstracto, id est, Genericitas seu prædicabilitas; neque ipsa natura communis simul cum Intentione secunda, hoc est cum prædicabilitate siue Proximâ siue Remotâ, vt ex æquo vtrumque definiatur, scilicet, Natura, vt Quod; Intentio secunda, vt QVO; neq; natura ipsa, vt subiicitur secundæ Intentioni; sed est secunda Intentio in Concreto, prout scilicet connotat naturam communem, quæ exercita, est prædicabilis de pluribus speciebus, ita vt intentio ipsa, sit res, definita; natura verò connotetur ex modo definiendi.

3. Natura Generica, habet se vt totum, respectu suorum inferiorum; potest tamen esse pars, non quidem Physica, sed Metaphysica, respectu diuerso; non enim dicit totam naturam actualiter & explicitè, sed partem nature, magis potentialem, ratione cuius dicitur totum potenti. le.

4. Genus potestate solùm cõtinet differentias, actu verò nequaquã.

5. Natura Generica, Metaphysicè accepta, secundum suam potentialitatem, quam dicit intra latitudinem perfectionis essentialis; nec perficitur, nec saluatur in vnâ specie,

6. Genus

6. Genus defumi dicitur à Materiâ ; quemadmodum differentia est à Formâ.

7. Totum potentiale dicitur, quod diuiditur in partes potestatiuas, de quibus prædicatur.

8. Genus potentiale est in ordine ad vltimam differentiam, quæ reddit quidditatem aliquam, ita formatam & determinatam, vt iam non sit amplius contrahibilis, nisi per differentias Individuales, quæ non important distinctionem Formalem & quidditatiuam, sed tantum faciunt differre Materialiter & Numericè.

Controuersia Sextæ.

1. Speciei subiicibilis ratio, distinguitur à Relatione speciei Prædicabilis. Vnde species respectu subiicibilis, & Prædicabilis, est nomen Equiuocum.

2. Speciei Prædicabilis Intentio seu Relatio, non est Passio, à Relatione speciei subiicibilis orta, nec è contrâ.

3. Species constituitur in suo esse Vniuersali, per habitudinem ad inferiora tantum, non verò ad superiora.

4. Speciei Prædicabilis, optima est illa definitio; Species est id, quod prædicatur de pluribus differentibus numero in quid. In quâ definitione speciei, definitum formale, est Intentio secunda, connotans naturam. Speciei verò subiicibilis illa est definitio; species est quæ subiicitur Generi; & de quâ Genus in quid prædicatur.

5. Subiicibilitas & Prædicabilitas, in secundo prædicabili non concurrunt per accidens, nec disparatè se habent; sed vel secundum se, vel per sua fundamenta; vna & determinat & modificat alteram.

6. Ab Vniuersalitate præcisè sumptâ, non dimanat subiicibilitas, multò minùs dimanat prædicabilitas à subiicibilitate; sed prior & essentialior intentio in secundo prædicabili, est Vniuersalitas limitata, & coarctata: ex quâ sic modificatâ, oritur immediatè subiicibilitas ad Genus.

7. Species Intrinsicè & essentialiter est correlatiuū Generis, quatenus ei subiicitur.

8. Diuisio speciei in Subiicibilem & prædicabilem, non est diuisio in diuersas res, sed in diuersas Passiones, seu diuersos modos eiuſdem rei, prout dicitur habitudinem ad superiora & inferiora.

9. In specie prius accipitur habitudo ad indiuidua, quàm habitudo ad Genus; eò quòd illa sit de rei essentia; hæc autem aduenit iam essentia constituta.

10. Natura speciei bene saluatur in vno Indiuiduo.

Controuersia Septima.

1. Indiuiduum seu Singulare, quod communiter in omnibus generibus inuenitur, potest considerari vel primo, vel secundo intentionaliter. Indiuiduum quantum ad primam intentionem, dicitur ipsam singularitatem prout inuenitur à parte rei.

2. Indiuiduum secundo intentionaliter acceptum, constat duplici relatione rationis, videlicet, relatione subiicibilitatis ad prædicata superiora, siue ad immediata, cuiusmodi est species Athoma; siue ad prædicata mediata, quæ sunt Genera; vt fit in Indiuiduis Generis; v.g. Hoc animal, Hoc corpus, &c. hæc enim indiuidua ex parte subiicibilitatis accipiuntur. Secunda relatio rationis est Prædicabilitatis, quæ indiuiduū, non de aliquo inferiori, sed de se ipso prædicatur.

3. Indiuiduum rectè à Porphyrio definitur sic; Indiuiduum est, quod de vno tantum prædicatur. Quæ definitio est Indiuidui secundo intentionaliter sumpti in Concreto.

4. Datur & alia Indiuidui definitio, sed est descriptiua, quam etiam Porphyrius insinuat, dicens; Indiuiduum ex eò dici, quòd ex proprietatibus consistit vnumquodq; eorum; quarum collectio nunquam in alio eadem erit. Sunt autem septem potissimum proprietates indiuiduarum; his versibus comprehensæ:

*Forma, Figura, Locus, Tempus, cum Nomine Sanguinis,
Patria; sunt septem; quæ non habent vnus & alter.*

Quæ definitio est Indiuidui primo intentionaliter sumpti, quia constat proprietatibus, quæ realiter inueniuntur: imò hinc definitur tantum

Indis

Individuum substantiæ, idq̄ complexum, & subsistens, quod suppositum seu persona vocatur.

5. Ultra prædictas Individui definitiones secundum Doctorem Angelicum; Individuum est indistinctum in se, & distinctum ab aliis. Vel melius; Individuum est, quod non dividitur ulterius nec Formali nec Materiali differentiâ. Quæ definitiones non solum conveniunt Individuis substantialibus, sed etiam accidentibus.

6. Præter Individuum determinatum, quod rem certam significat, vel nomine Proprio, vt Socrates; vel ex Demonstratione; vt, Hic Leo; vel ex Hypothesi, vt Sophronisci filius; datur etiam Individuum Vagum in Communi, quod importat naturam cum modo particulariter existendi, omnibus Individuis certis, eiusdem naturæ communi; vt, aliquis homo.

7. Ratio Communis, quam Individuum Vagum importat, est Realis non Rationalis.

8. Conceptus Individui, est Analogus ad omnes differentias individuales, eò quod contra hitur & abstrahitur illo modo, quo Analogia à suis Analogatis, estq̄ imperfectus.

9. Conceptus Abstractus ab Individuo constituto ex Differentiâ & Natura, per modum totius & Entis completi, non est proprie Universale & univocum, sed reductivè & secundum Quid; simpliciter autem est Analogum.

10. Individuatio pro secundâ intentione Individui, nempe pro Relatione rationis, est simpliciter univoca ad omnes relationes Individuationis.

11. Infima subicibilitas est relatio Individuationis, tanquam species quædam Entis rationis, cuius fundamentum est omnino distinctum à reliquis relationibus; & distincta species, quæ dividitur in sua Individui, sicut & aliæ Relationes.

12. Prædicatio Individui Vagi in Communi, reduci potest ad speciem, non per se & simpliciter, sed reductivè, & secundum Quid.

Controuersia Octaua.

1. **D**ifferentia diuiditur in Communem Propriam, & Propriissimam; & hæc postrema sola constituit tertium Vniuersale, est autem diuisio Adequata.

2. In Diuisione differentia non est aliqua Intentio secunda alicuius ex quinque Prædicabilibus, neque est Intentio tertii, siue quarti, aut quinti prædicabilis; siquidem intentio tertii prædicabilis, est intentio differendi essentialiter; quartus verò & quintus prædicabilis est intentio differendi accidentaliter; quarum intentionum nulla potest esse diuisum, complectens omnia membra diuidentia.

3. Diuisum itaque differentia in formis realibus, realiter differre faciētib; dicitur formalitas seu munus faciēdi differre, quæ non est solâ intentio secunda, seu ratio rationis, sed est vera realis formalitas.

4. In iis, quæ sic differunt, supponitur conuenientia & similitudo realis.

5. Membra formalitatis faciēdis differre opposita, sunt duo nempe modus faciēdi differre essentialiter & accidentaliter. Ceterum accidentalis differentia diuiditur in modum differendi separabiliter, quæ est differentia Communis; & in modum differendi inseparabiliter, quæ est differentia Propria, vbi etiam differentia penes Propriam Passionem includitur, quæ est differentia accidentalis, licet inferat & præsupponat essentiam, à quâ deriuatur.

6. In prædictâ diuisione includitur quoque differentia Individualis quandoquidem vel Essentialis vel Accidentalisis oportet.

7. Diuisio differentie in Communem, Propriam, & Propriissimam, non est vniuoca, sed Analogâ.

8. Est autem discriminem inter prædicari, tam essentialiter, quàm accidentaliter, & inter facere differre; quod prædicabilitas consequitur rem, vt est in Intellectu: At verò facere differre, est effectus in re, non per intellectum, quatenus distinguit, & facit differre vnum ab alio, quæ consideratio est Metaphysica.

9. Propriissima differentia, quæ est constitutiva speciei, non suscipit magis & minus; quia cuiuslibet rei essentia consistit in Indivisibili: Differentia verò Communis, suscipit magis & minus. Cæterum differentia Propria, aliquando suscipit magis & minus, vt patet in Calore & Frigiditate: Propria tamen Passio formaliter sumpta, consistit in Indivisibili, & formaliter vt Talis, non suscipit magis & minus.

10. Differentiæ Infimæ & subalternæ sunt eiusdem rationis.

11. Differentia collata Generi quo ad modum essendi, excedit genus perfectione, Illa enim habet se, vt forma, hoc verò, vt Materia: secundum autem modum prædicandi, Genus est perfectius differentiâ; eò quòd Genus prædicetur in quid, per modum per se itantis; Differentia verò in quale, per modum alteri a diacentis.

12. Diuisio differentiæ in Diuisiuam generis, & Constitutiuam speciei, est diuisio potentiæ in diuersos actus, siue in eundem actum diuerso modo explicatum.

13. Differentiæ diuisio in separabilem & Inseparabilem, si consideretur, secundum munus faciendi differre Accidens à Differentiâ, erit subiecti in accidentiâ; si autem per Inseparabilem differentiam, intelligatur inseparabilitas per modum essentiæ, solum Propriissimæ differentiæ conuenientis, erit Analogi in Analogata: si tandem currat de differentia vt prædicabili, erit Generis in species; eò quòd Differentia Communis, Propria, & Propriissima, conueniunt in ratione prædicabilis.

14. Differentia à Porphyrio definitur esse id, quòd de pluribus specie differentibus in quale quid prædicatur. Hęc definitio soli & omni differentiæ subalternæ conuenit. Vnde prædicari de pluribus differentibus specie, non competit differentiæ quatenus differentia, sed illi quatenus talis.

15. Ratio & Essentia differentiæ vt sic, quatenus est Communis, subalternæ & Athomæ (ex punctâ à definitione illâ particulâ, differentibus specie) erit accomodata, definiendo sic; Differentia est id, quod prædicatur de pluribus in quale quid.

19. Differentia subalterna, seu Generica, & differentia Infima seu specifica, non constituunt diuersa predicabilia, sed vnum tantum quamuis Genus & species distincta sunt predicabilia.

17. Differentia non constituitur in ratione Vniuersalis & predicabilis in ordine ad speciem infimam, aut subalternam, quam constituit neque respectu Generum que contrahit, sed tantum per ordinem ad Individua speciei.

Controuersia Nonæ.

1. **P**roprium tantum quarto modo sumptum, quartum constituitur sit Predicabile: Ceteri verò modi ad quintum Predicabile pertinent.

2. Vbi non sunt Essentialia principia, cum quibus Proprium necessariam habeat connexionem, ibi non est tale Proprium. Et quamdiu aliqua habent ralem Essentiam, tamdiu habebunt eius Proprietatem.

3. Propriū in ratione Proprii, bene sic potest definiti; Propriū est quod predicatur de pluribus in quale accidentaliter & necessariorum.

4. Proprium induit rationem quarti Predicabilis, respectu Individuorum ipsius speciei, cum qua conuenitur.

5. Predicatio Illa Proprii de specie non est, vt est quartum Predicabile, sed vt est quartum Predicatum.

Controuersia Decimæ.

1. **A**ccidens quantum Predicabile, rectè & Logicè sic definitur quod potest abesse, præter subiecti corruptionem; in qua definitione, per subiectum intelligitur subiectum prædicationis, non verò inhesionis; & verba ista Adesse & Abesse, non primò sed secundò intentionaliter sumuntur.

2. Terminus in ordine Ad quem Accidens constituatur in essentia Vniuersalis, sunt subiecta, quæ illud accidentaliter denominat. Non verò alia inferiora, quibus potest Essentialiter conuenire,

3, Acc

3. Accidentia, quæ oriuntur ab Essentiâ ratione Formæ, & quæ per se primò conueniunt, speciei, sunt propriæ Passiones; Illa verò, quæ oriuntur ab Essentiâ, ratione Materiæ, & quæ per se primò Indiuiduis conueniunt, sunt communia Accidentia.
4. Accidentia, quæ proueniunt ratione Materiæ, habent se per se per accidens ad speciem, & ideo per prius Indiuiduis conueniunt, & ratione Indiuiduorum speciei.

Controuersia Vndecimæ.

1. Antepredicamenta in Genere ab Aristotele numerantur tria, scilicet, Definitiones, Diuisiones, & Regulæ. In specie verò septem; tres scilicet Definitiones, Duæ Diuisiones, & Duæ Regulæ.
2. Equiuoca dicuntur, quorum nomen est commune, ratio verò substantiæ nomini a comodata, diuersa. Diuiditur autem Equiuocum in Equiuocum æquiuocans & Equiuocum æquiuocatum.
3. Rectè à Philosophis Vniuoca sic definiuntur: Vniuoca illa dicuntur, quorum nomen est commune, & ratio substantiæ, sub eodem nomine significata, est eadem: Aliud autem est vniuocum Vniuocās, & aliud vniuocum vniuocatum.
4. Res ipsæ secundum se non dicuntur Vniuocæ; nec Equiuocæ, sed prout nominibus significantur.
5. Denominatiua verò dicuntur, quæ ab aliquo orta, solo differunt casu, ab illo tamen habent nominis appellationem.
6. Definitum in his Definitionibus, est secunda Intentio constitutiua Vniuocorum, Equiuocorum, & Denominatiuorum, significata in Concreto, quo modò supponit pro ipsis æquiuocatis, vniuocatis, & denominatis.
7. Analoga continentur sub Definitione Equiuocorum, quia Analoga sic definiuntur: Analoga illa dicuntur, quorum nomen commune est & ratio Substantiæ secundum illud nomen, aliquo modo eadem, & aliquo modo diuersa.
8. Duas Philosophus Antepredicamentorum diuisiones statuit,

Prima diuifio eorum quæ dicuntur : Alia enim cum complexione dicuntur, & vocantur Complexa : Alia dicuntur sine Complexione & vocantur Incomplexa. Secunda diuifio eorum est, quæ sunt ; quædam enim de subiecto dicuntur, in subiecto tamen non sunt ; vt, substantiæ vniuersales : Quædam autem in subiecto sunt, & de subiecto non dicuntur ; vt Accidentia singularia : Quædam in subiecto sunt, & de subiecto dicuntur ; vt Accidentia Vniuersalia sumpta in Concreto : Quædam verò neq; in subiecto sunt, neque de subiecto dicuntur, vt, Substantiæ singula es. Quæ diuifiones sunt bonæ. In subiecto autem illud esse dicitur, quod cum sit in aliquo non sic vt Pars, impossibile est esse sine eo, in quo est.

9. Quando aliquid prædicatur de aliquo vt de subiecto ; quidquid prædicatur de prædicato, dicitur etiam de subiecto.

10. Diuersorum Generum & non subalternatim positorum, diuersæ sunt speciè differentię : Subalternorum verò Generum nihil prohibet, easdem differentias esse.

11. Genera, quorum vnum non continetur sub alio, sed ambo sub vno tertio, necessariò habent diuersas differentias constitutiuas suas proprias.

12. Optima Entis diuifio est ; Primò in Ens reale & Rationis ; secundo Ens reale, in DEVM & Creaturas : Tertio Ens Creatum in substantiam & Accidens.

Controuersia Duodecimæ.

1. VT aliquid reponatur in Prædicamento per se & directè, debet esse Ens, & quidem Reale ; per se, non per Accidens : Incomplexum, Completum, Finitum, & Vniuocum. Est autem prædicamentum nihil aliud, quàm quidditatiua prædicabilium coordinatio. Sunt verò tantùm Decem Prædicamenta.

2. Naturæ substantiales debent reponi in Prædicamento sub terminis Concretis, non verò Abstractis : At verò Accidentales per se quidem

quidem sub Abstractis; & secundum quid, sub Concretis possunt reponi.

3. Ratio formalis substantiæ est esse per se.

4. Ens non potest esse Genus ad decem Prædicamenta.

5. Substantia est duplex; Prima & Secunda. Prima tamen magis est Substantia, quàm secunda, quia pluribus substat. Hæc diuisio est Adæquata, & Analogæ.

6. Substantiæ Proprietates Sex à Philosopho recensentur: quarum Prima est, quod tam prima, quàm secunda substantia, non est in subiecto. Secunda proprietas, quod secundæ substantiæ & Differentiæ, vnucocè prædicantur de primâ substantiâ, Tertiâ Proprietas, quod prima substantia significat hoc aliquid, secundæ verò videntur significare quale quid, Quartâ, quod substantiæ nihil est contrarium. Quinta, quia substantia non suscipit magis & minus. Sexta, quia substantia eadem manens, est contrariorum susceptiua: Quæ proprietates sic se habent, vt Secunda & Tertiâ, conueniant substantiæ primò modò Proprii; nimirum soli, sed non omni: Quarta & Quinta conueniant substantiæ secundò modò Proprii, scilicet, Omni, sed non soli; Prima & Sexta quartò modò Proprii conueniant substantiæ; scilicet, Omni, soli, & semper.

7. Quantitas distinguitur à substantiâ quantâ realiter.

8. Quantitas, prout est Genus generalissimum, diuiditur in Continuum & Discretam, tanquam in species subalternas.

9. Septem tantum species Quantitatis sunt per se quantæ, & ratione sui; nempe Linea, superficies, Corpus, Locus, Tempus, Numerus, & Oratio. Aliæ verò sunt quanta per accidens; vt, Albedo dicitur longa, quia multum temporis in eâ consumitur; Albedo etiam dicitur magna, quæ est in superficie magnâ.

10. Secundum Quantitatem vnumquodque quantum, dicitur æquale, vel inæquale & hoc illi est peculiare. Dicitur quoque illi conuenire, vt non suscipiat contraria, nec magis & minus, quod ei cum substantiâ commune est.

11. Relationes reales create dantur verè à parte rei, constituuntq;

Speciale Genus Entis realis: Vnde Relatio, est verum Ens reale, non solum quantum ad rationem communem accidentis, seu secundum Esse In; sed etiam quantum ad propriam Relationis rationem, seu secundum Esse Ad; hinc istud Entis Genus, ab Aristotele Ad aliud quid appellatur.

12. Relationes prædicamentales, non sunt relationes secundum Dici, nec relationes rationis.

13. Diuisio Relationis in eam, quæ est secundum Esse, & secundum Dici; est alia à Diuisione Relationis in Prædicamentalem, & Transcendentalem; Item, in Realem & rationis.

14. Principale significatum Relationis secundum Dici, non est Relatio, sed aliquid aliud, ad quod Relatio sequitur.

15. Relatio secundum Esse, est, quando principale significatum ali-cuius est relatio ipsa, & non aliquid absolutum.

16. Relatio Transcendentalis coincidit cum relatione secundum Dici: Vnde non rectè circumferri solet diuisio relationis secundum Esse, in Prædicamentalem & Transcendentalem; siquidem Transcendentalis relatio, est in ipsâ Entitate absolutâ, nec ab eius Esse differt: & sic, non est totum suum esse ad aliud: quod relatio prædicamentalis requirit.

17. Relatio realis à Relatione rationis differt, quòd realis habet fundamentum reale; relatio verò rationis, caret fundamento.

18. Definitio relatiuorum, optimè à Philosopho assignatur, hoc modò: Ad aliquid sunt, quibus hoc ipsum esse, est ad aliud se habere: id est Relatiua sunt, quorum totum esse est ad terminum referri.

19. Ad relationem tria concurrunt; Subiectum, Fundamentum, & Terminus.

20. Relatiuorum proprietates sunt quinque; nempe, habere contrarium, suscipere magis & minus, dici ad conuertentiam, relatiua esse simul naturâ, & cognito definitè vno relatiuorum, & aliud cognosci.

21. Relatio secundum esse, subdiuiditur in mutua & non mutua; mutua quoque distribuitur in eam, quæ est Equiparatiæ & Dis-
quiparantiæ.

22. Non continetur sub prædicamento ad aliud, relatio secundum dici.

23. Omnes & solæ relationes reales creatæ, quæ verè sunt relationes, & appellatur secundum esse, continentur in Categoria relationis.

24. Qualitatis definitio illa: Qualitas est, secundum quam, quales esse dicimur; non est rigorosa; neque ita propria & exacta, sicut sunt definitiones aliorum prædicamentorum; nihilominus eadem vii fas est.

25. Qualitas iuxta sui formalem rationem, nihil aliud est, quam Dispositio vel modus substantiæ, id est, adiacens substantiæ determinatio.

26. Quatuor tantum sunt species qualitatis, de quibus illa uniuersè, tanquam Genus generalissimum, prædicatur; nempe habitus & dispositio, naturalis potentia & impotentia, passio & passibilis qualitas, forma & figura.

27. Habitus & dispositionis essentia consistit in hoc, ut sit qualitas determinans, seu disponens rem benè vel malè, in ordine ad naturam; siue per se primò ordinata sit, ad benè vel malè esse subiecti, seu per se ipsam, ut contingit in sanitate, pulchritudine, & similibus, quæ immediatè afficiunt naturam; siue in ordine ad aliquam operationem, ut contingit in scientiâ, virtute, & similibus, quæ immediatè afficiunt potentias: proinde istius primæ speciei qualitatis, potest formari talis definitio: Habitus & Dispositio est qualitas, secundum quam res benè vel malè se habet.

28. Habitus & dispositio absolutè considerata, & propriè dicta, prout scilicet per se ex naturâ suâ competit illis, esse faciliè & difficilè mobiles; verè, essentialiter & specificè differunt.

29. Sub habitu propriè dicto continentur omnes scientiæ & virtutes. Series eius sic ordinatur, ut diuidatur in Acquisitum & Infusum; sub habitu infuso continentur, Fides, Spes, Charitas, Lumen gloriæ, habitualis gratia, & alia permanentia Spiritus Sancti dona, & virtutes. Rursus habitus Acquisitus distribuitur in Intellectualem & Moralem; s referatur ad voluntatem, ille verò ad intellectum. Præterea habi-

tus voluntatis dispescitur in virtutem moralem, & vitium illi oppositum, ac præterea vnumquodque in suas species subdividitur. Habitus verò intellectualis diuidi potest in sapientiam, intelligentiam, scientiam, prudentiam & artem.

30. Sub dispositione, quatenus ab habitu distinguitur, continentur in primis omnes dispositiones corporales, quæ simpliciter non sunt difficilè mobiles à subiecto, propter mutabilitatem causarum corporalium & tales sunt, sanitas, pulchritudo, & deformitas; tum quæ se habent, quasi habitus in membris corporis.

31. Potentia est qualitas productiua: vel est simpliciter principium actionis,

32. Impotentia verò dicitur puram negationem ad potentiam debitam & remissam; ac proinde non distinguitur à potentia, nisi vel perfectum ac imperfectum.

33. Potentia naturalis rectè in Activam & Passiuam distribuitur: Actiua verò alia est immanens, alia transiens.

34. Passio & patibilis qualitas, non sunt duæ species essentialiter distinctæ, sed tantum modaliter, seu per accidens.

35. Passibilis qualitas est, quæ causat passionem, vel ab illa causatur: siue talis passio sit in appetitu, siue sit passio corruptiua, siue perfecta sunt.

36. Sub qualitate passibili continentur, Lux, color, odor, sapor & qualitates tangibiles; Calor, frigus, siccitas, & humiditas.

37. Forma & Figura non differunt specie & essentialiter; siquidem vtraque eodem modo disponit partes quantitatis in se ipsis; sed tantum accidentaliter differunt.

38. Continentur sub Formâ qualitates constitutiue Artefactorum vt Turris, nauis, domus, Caterum sub Figura præter figuras animalium & aliarum rerum naturalium, continentur omnes figuræ Geometricæ; species impressæ, ad secundam speciem qualitatis pertinent species verò expressæ, sunt dispositiones.

Controuersia Decimæ Tertia.

1. Sex vltima prædicamenta non consistunt in extrinsecâ denominatione, sed in modò relicto applicationis extrinsecæ, à quo dependent in denominando.
2. Vnde propriè ac formaliter hæc prædicamenta sex postrema, non sunt veræ relationes, sed quid absolutum.
3. Actio est causalitas causæ efficientis, quæ est actus secundus potentia operatiua.
4. Passio est actus secundus potentia passiuæ; vel, est accidens, à quo res constituitur actu recipiens.
5. Specificatio seu formalis ratio Actionis, sumitur à principio seu potentia operatiua: Passionis verò specificatio petitur à terminò per actionem productò.
6. Omnes actiones creatæ, tam transeuntes, quàm immanentes ad actionis prædicamentum reducendæ sunt.
7. Ad Passionis Categoriã tantummodò illæ passiones pertinet, quæ ex naturâ suâ præsupponunt, & sequuntur actionem prædicamentalem; vnde quando proprietates recipiuntur in essentiâ, non sunt de genere huius prædicamenti.
8. Creatio passiuã creaturarum, non est passio huius prædicamēti; quia creatio actiua Dei, quàm per se Creatio passiuã præsupponit, non est actio vera prædicamentalis.
9. Passio diuiditur in substantialem & Accidentalem, seu in Generationem passiuã & Motum: Generatio passiuã diuiditur iuxta diuisionem generabilium: Motus verò in augmentationem, alterationem, & Lationem passiuã distribuitur.
10. Vbi, est circumscriptio corporis ex circumscriptione loci proueniens: id est; Vbi, est accidens resultans ex re locatâ; eò quòd à loco cõtineatur, mediò quò, quasi coequatur & proportionatur loco.
11. Non potest esse Vbi, nisi sit locus; quia absque loco nihil potest esse in loco.
12. Vbicatio circumscriptiua, seu vbi circumscriptiuum, proprie

pertinet ad hoc predicamentum; Vbi autem definitiuum improprie.

13. Quando est id, quod ex adiacentia temporis relinquatur. Situs est positio partium, secundum quam dicuntur aliquę stantes vel sedentes. Species eius subalterne duę statum rurs; videlicet situatum esse recte & inflexe; sub inflexa continentur sessio, cubatio, genuflexio; sub recta itidem positione sunt alię species.

14. Habitus non est extrinseca denominatio, neq; etiam est dispositio membrorum; sed prout id predicamentum constituit, est accidens resultans ex adiacentia indumenti.

Controuersia Decimæ Quartæ.

PROPOSITIONES futuri e contingentis, quę non dependent ab aliquo de præterito, vel ab eò non inferuntur, non sunt determinatę verę aut falsę; similiter nec illę sunt determinatę verę aut falsę, quę habent causam mutabilem & variabilem, licet ex aliquo de præterito pendeant.

1. Propositiones futuri contingentis, quę dependent ex aliquo de præterito inmutabili & inuariabili, sunt determinatę verę vel falsę: vt, Deus dixit Antichristum futurum, est determinatę veritatis.

2. Definitio & Diuisio, sunt instrumenta, siue modi cognoscendi, a Argumentatione distincti.

3. Hęc instrumenta Argumentationi, tanquam nobiliori, inferuntur; sunt tamen simpliciora, quia Argumentationi præsupponunt ut ipsa verò non supponunt Argumentationem.

4. Inde colligitur, cognoscendi & sciendi peculiaria esse instrumenta, Definitio rem Diuisio rem, & Argumentationem.

5. Definitio est oratio, quę naturam seu quidditatem rei explicat, Diuiditur autem in esse utilem & descriptiuam.

6. Diuisio est oratio, rem seu totum per partes explicans: Est autem rem totum quadruplex; Potentiale, Actuale, Virtuale, & Accidentale.

Controuersia Decima Quinta.

1. Syllogismus potest defini per Argumentationem, tanquam per Genus proximum, & per Orationem, tanquam per Genus remotum.

2. In illa definitione Syllogismi; Syllogismus est oratio, in qua quibusdam positis, aliud ex his, quae posita sunt, necessario sequitur; si vis, & facultas Syllogismi attendatur, non est necesse ponere illam particulam. Concessis; si autem inflexio mentis attendatur, ponendum est; Positis, & Concessis.

3. Argumentatio, quae tenens est membrum diuidens formalem discursum in Communi, subdiuiditur in conditionalem, causalem, & Rationalem

4. Syllogismus, Inductio, Enthymema, & Exemplum, differunt specie sub Argumentatione, tanquam verò suo genere.

Controuersia Decima Sexta.

1. Omnis cognitio intellectiua fit ex praesistente cognitione sensitua, quod de omni & solâ cognitione discursiua intelligendum est.

2. Duæ tantum sunt praecognitiones, An sit, & Propter quid sit.

3. Tria sunt praecognita in quâlibet demonstratione, Subiectum, Principium, & Propria passio.

4. De principio non praecognoscitur, quid sit, sed An sit verum.

5. De subiecto non praecognoscitur, An sit verum, neque An sit existens, sed sufficit cognoscere, An sit res in aptitudine, & quid sit?

6. In Demonstratione à posteriori, seu per effectum, non est praecognoscendum quid rei, sed quid nominis?

7. De Passione seu effectione vel proprietate subiecti, non praecognoscitur An sit, neque Quid rei; sed tantum Quid nominis.

8. Demonstratio est Syllogismus efficiens scire; Haec definitio est optima & accurata; apud Dialecticum quidem est essentialis, sed apud Metaphysicum Accidentaria.

9. Demonstratio potissima procedit ex premissis immediatis, vel statim, vel per aliqua media; seu ex immediatis proximè vel remotè.

10. Omnis Demonstratio est ex causis conclusionis: Demonstratio potissima, & propter quid, debet ex premissis veris, primis, & immediatis constare;

11. Scire est rem per causam cognoscere; & ita rei causam esse, vt, rem aliter se habere non posse, credamus;

12. Præmissæ Demonstrationis debent esse de Omni & Per se. Item vtraq; præmissæ Demonstrationis, vel saltem aliqua, debet esse de prædicato Vniuersali, in Demonstratione propter quid.

13. Demonstratio Propter quid, in quâ propria passio, aut de Genere particulariter sumpto, aut de aliquo inferiori concluditur, est longè imperfectior demonstratione, in quâ propria passio de proprio & adæquato subiecto concluditur.

14. Vniuersalis Demonstratio, cuius vtraq; præmissæ est de prædicato Vniuersali, seu conuertibili, concludens vniuersaliter passionem de proprio & adæquato subiecto, longè est perfectior particulari quacunq; aliâ, cuius conclusio, aut præmissæ non sunt conuertibiles, seu de prædicato Vniuersali.

15. Ad vitandas deceptiones circa vniuersale prædicatum, conuenienter hæc regula seruanda est: Quando positò subiectò ponitur prædicatum; & ablatò auferitur, tunc prædicatum conuenit vniuersaliter, seu secundum ipsum, subiecto.

16. Demonstratio non potest procedere ex omninò extraneis; sed medium debet habere necessariam connexionem cum extremis; ita, vt subiectum, medium, & passio, debeant contineri infra idem genus, seu infra eandem cognitionem.

17. Demonstratio Propter quid, non potest procedere per causam remotam, & commune, nisi secundò modò; bene tamen primò; licet talis demonstratio non sit potissima, sed quodam modo imperfecta.

18. Circulus vniformis seu formalis in Demonstratione est vitiosus, & à Philosopho reprobatus, non autem diformis & materialis.

19. Demonstratio Diuisio, in Quia, & Propter quid, est adæquata.

20. Demon-

20. Demonstratio non est verum & legitimum Genus, sed est natura Analogâ, respectu Demonstrationis Quia & Propter Quid.

21. Demonstratio Propter Quid & Quia, distinguuntur specie prædicabili, non autem verâ & legitimâ subiectioni.

22. Assensus genitî à Demonstratione propter Quid, & Quia, distinguuntur specie.

23. Demonstratio Quia, ex parte certitudinis & euidentię, efficit intrinsicè verum, & substantialiter propriam demonstrationem; Atque sic est Demonstratio absolutè, secundum modum procedendi; sed tamen imperfectè participat rationem scientię.

24. Demonstratio Quia, & Propter Quid, est alia à demonstratione A priori & Posteriori: Illa enim diuisio sumitur ex ordine ad fines distinctos principaliter: A priori autem & Posteriori diuisio petitur ex ordine, quem res scibiles habent ex naturâ suâ.

25. Medium Demonstrationis potissimè, est definitio subiecti, non autem definitio Passionis.

Controuersia Decimæ Septimæ.

1. **H**Abitus Principiorum probabilium distinguuntur ab habitu principiorum euidentium; & habitus principiorum Practicorum à speculatiuis;

2. Quęcunq; sunt speculatiua principia, ad eũ dẽ habitum pertinent.

3. Scientiam aliquam sub altera poni, contingit tribus modis, scilicet ratione finis, ratione principiorum, & ratione subiecti. Hinc scientię subalternatę tribus etiam modis dicuntur.

4. Quatuor sunt conditiones subalternationis scientiarum: Prima, vt obiectum scientię subalternatę sit magis contractum & presum obiecto scientię subalternantis. Secunda, vt, quod contrahit obiectum scientię subalternantis ad subalternatam, non sit differentia essentialis, neq; maximè propria obiecti contracti, neq; illud in huiusmodi contrahente includat. Tertia, ne illud, quod contrahit obiectum scientię subalternantis ad subalternatam, sit proprietas alicuius

inferioris. Quarta, ut scientia subalternans explicet rem esse, & propter quid sit; subalternata verò, rem esse tantum explicet.

5. Scientia subalternans scit propter quid, solitarie, & in eò uni; non applicata ad hanc materiam; id est, tradit principia solum in generali, quæ deinde determinatæ materiæ à subalternatâ applicantur.

6. Subalternata scientia, quando dicitur scire Quia; non id privative intelligendum est, quominus à sumptis principijs à subalternante, suas conclusiones propter quid demonstret: in quo genuina subalternationis ratio consistit.

7. Scientia subalternata, siue continetur cum subalternante, siue non, semper idem est specificus habitus; licet in statu imperfecto scientiæ ex parte subiecti, quamdiu de facto non potest resolvere conclusiones in principia per se nota; mediante scientiâ subalternante.

8. Scientiæ subalternantes quatuor communiter esse perhibentur Geometria, cui subalternata est Perspectiva; deinde Arithmetica, cui substernitur Musica; tertio Stereomatica, cui Machinativa, quæ de fabricâ tractat, subest. Ad extremum Astrologia, doctrinam, quæ de Phenomenis tractat, sibi subalternatam habet.

9. Ignorantia opponitur scientiæ; estq; alia puræ negationis, in eo qui est omni cognitione destitutus; & opponitur scientiæ, ut Privatio: Alia ignorantia est præ affectiois, quæ est error ex aliquâ falsâ, vel Pseudographâ ratione ortus; opponiturq; scientiæ ut contrariū.

10. Habitus inevidentes reducuntur ad tres, nimirum Opinionem, Fidem, & suspicionem. Opinio est assensus alicuius rei ob rationem & motuum probabile, cum formidine partis oppositæ. Fides creata, est cogitatio cum assensu, siue assensus cogitantis ob auctoritatem dicentis. Suspectio est, assensus inclinans in aliquam partem ex aliquo levi sigeo. In his loco Assensus si ponatur habitus inclinans ad assensum, facile cognoscitur, quid sint habitus istarum cognitionum inevidentium.

11. Opinio & Fides, & quivis actus obscurus cum evidentiâ Intuitivâ vel Abstractivâ repugnant inter se, in eodem intellectu secundum privationem ex parte subiecti,

Controuersia Decimæ Octauæ.

1. **V**nitās vel distinctio scientiarum, tam generica quàm specifica, neq̄, sumitur ab Obiecto materiali, neque ab obiecto formali in esse rei, neq̄; à ratione formali Quâ; sed ab obiecto in esse scibilis, seu à ratione formali sub Quâ.

2. Non solum abstractio passiuè & radicaliter sumpta, sed etiam medium, seu principium Demonstrationis, pertinent ad rationem formalem sub Quâ, specificatiuam scientiæ.

3. Ratio formalis sub Quâ, à quâ sumitur vnitas & distinctio generica scientiarum, desumenda est ex abstractione à materiâ; ita, vt illæ scientiæ sint vnus generis, quæ habent eandem abstractionem; Illæ verò diuersi generis, quæ diuersas sortiuntur abstractiones.

4. Ratio formalis sub Quâ; ex quâ sumitur vnitas & distinctio specifica scientiarum, petenda est ex vnitate vel distinctione specifica principiorū, intrattem genus scibile, seu intra eandem Abstractionē.

5. Tot sunt genera scientiarum, quot sunt Abstractiones. Scientia totalis, est vnus habitus simplex, in ordine ad omnia obiecta, ad quæ se extendit.

6. Practicum & speculatiuum sunt differentia, scientiam in communi diuidentes; ita vt quilibet scientia sit, vel practica vel speculatiua, & nulli detur mediâ scientia totalis, vt V. G. Physica, aut Metaphysica, est vnus specie, & simplex habitus.

Sub felicibus auspiciis

Magnifici & Admodum Reuerendi Dñi

D. IACOBI VSTIENSIS,

S. Th. & I. V. Doct: & Profess: Ecclesiarum Colleg:

S. FLORIANI, & S. Georgii in Arce Crac: Custodis, Studij Crac: Generalis


R E C T O R I S.


IN STEMMA
Almæ Academiæ Cracouiensis.



*Stemma tibi genitrix splendent duo Sceptra corusca,
Nam Studiis cunctos et pietate prejs.*

RECTORS





6149

86

